

quantam in puniendo admisceat gratiam, nec negligatur morbus, nec timeatur, obsequiosâ devotione reparatis mentibus. Neque si fatalis plaga quem impetat, longis cruciatibus divexat vel diducit acerbiter, inadvertenter insurgit & necat, brevi absolvens terminum. Quia, ne propria facie terribilis sit, cum aliis magis interimit, quæ tanquam comites sibi adsciverat. Multi itaque laudandi morborum artifices, qui hunc præcipuum habitum generoso animo oppugnatum eunt, & divino nixi auxilio non capiuntur morbi blanditiis, nec terrentur sævitiâ demeriti, summè humanam gentem, tantoque gloriosius præmiis afficiendi, quò illustriora trophæa de hoste egerint, vel, auspicio divino, ne ingrueret, caverunt. Hos inter cum eximium Te gefferis heroem, publicâ laude mañandus es meritò, benè actæ rei, felicitis eventus, prosperrimi successus monumento clarissimo edito. Delectabit hoc alios pulchritudine suâ, pulchra namque novimus quæ difficilia, dum afflictionem gravissimam columnas & fulcra humani corporis evertentem concinno ordine exhibet. Te verò laudibus illustrabit, quia luculentum præbet testimonium industriæ Tuæ Phœbo ejusque forori notissimæ, nec enim cum caput ille Hesperias conderet sub undas ingenii ardorem tepescere passus es, sed facibus iis univèrsis, quas vesper accendit, hunc ad novum laborem perquam utilem, necessarium ac egregium excitari voluisti. DEUS O. M. annuat, ut cum imis non detrectaveris præstò esse officioso animo, omnibus verò Te generosum probare, summis jam & infimis fortunâ, opibus, famâ & singulis illis constantibus, incalescas, quod votum meum est sincerum!

*Magni ab urbe Pergamo Doctoris*

FILIUS.

MEMO.